Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3323
Quelle:
Copyright:

de quibus fit mentio in ſermone prediCto. Agitabatur in Concilio, an poſt renunciationem et depoſitionem trium Pontificum vel Eccleſia prius reformanda, vel ante reformationem novus Pontifex eligendus ſit. Itaque hic variis Quaeſtionibus et Concluſionibus ante omnia urgetur nova Electio ex iis maxime capitibus, quod Cardinales Eccleſiam diutius permittendo acephalam Schiſmati, imo Haereſi in *Job. Huſſo* condemnatae favere videantur, et quod praeſumi non poſſit, Eccleſiam melius reformandam *ſub ſeculari poteſtate Romani principis quam ſpirituali auCtoritate ſummi pontificis.* Atque haec maxime, ut dicitur, diriguntur contra *iniurioſam cedulam Magiſtri petri pauli dominica 22. die Auguſti in valuis eccleſie affixam.* In *Seſs.* VIII. 1415. inter Congregatos nationis *Italicae* T. XVI. *Concill.* edit. *Venet. col.* 124. memoratur *Petrus Paulus de Aſtria* fortaſſis *Aſtia* vel *Aſta*, *utriusque juris doCtor*, qui, an noſter ſit, ignoro, Scriptum vero iſtud ineditum ad an. 1417. et menſem *Aug.* vel *Sept.* pertinere arbitror.

XXXIII. *fol.* 342. *Sermo de omnibus ſanCtis* et ad calcem: *P. Cardinalis Cameracen.* Anonymum vidimus hunc Sermonem *Cod.* DLXXII. Initium: *Signum magnum apparuit in celo mulier amiCta ſole — Apoc. XII. Hec mulier que in verbis propoſitis tanquam ſignum magnum in celo apparuiſſe dicitur — ſanCtam eccleſiam triumphantem congrue ſignificat* &c. In Parte *ſecunda* a triumphante ad militantem deſcendit Eccleſiam, ubi multa praeclare de futuri Pontificis conditione, et Praelatorum in Concilio officiis; diſſimulare tamen nequit, ſibi *Gerſoni*que non ſucceſſiſſe condemnationem *Johannis Parvi;* ita enim ſub finem contra amatores eclypſium: *quales fuerunt nonnulli qui dudum* (1415) *in hoc loco Seſſionis oCto fidei radios ad fugandas errorum nebulas potentiſſimos videlicet oCto regulas catholicas in condempnacione errorum ſpecialiter obſeruandas tunc ex parte chriſtiani francorum regis ad inſtruCtionem cauſe fidei proponendas proch pudor in ſuo inportuno clamore clamoroſoque ſtrepitu obtenebrare preſumpſerunt* &c. Nemo *Sermonis* hujus, quod ſciam, meminit praeter *Manſium* ad *Fabric. Bibl.* L. XV. p. 239. qui *Viennae* praeſens egregium hunc *Codicem* inſpexit, in quo continentur *Sermones* XXI. *inediti*, niſi fortaſſe illorum aliqui inter V. illos haberentur, quos teſte *Schelhornio Amoenit. lit.* III. p. 40. *Herm. Hardtius* P. III. *Hiſt. literar. Reformationis* publicavit, quod opus mihi nunc ad manum non eſt.

DCCCCLXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 300. f. per duas columnas probe exaratus et rubricis diſtinCtus olimque pertinens *ad Auguſtinenſes Ratiſpone* compleCtitur *Res Conciliares Baſileenſes* hoc ordine: I. *Incipit Reſponſio fratris Johannis de raguſio Ord. Pre-* 272